

# Riordinamento delle Province ecclesiastiche della Campania e nuova Provincia di Foggia

---

*Si pubblicano, per documentazione, le Bolle del 30 aprile 1979, con le quali il Santo Padre ha dato un nuovo assetto alle Province ecclesiastiche della Regione pastorale della Campania e ha eretto la nuova Provincia ecclesiastica di Foggia.*

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI  
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quamquam Ecclesia sancta primum omnium Christi verbo atque Sacramentis vivat, nullus tamen non videt aptiorem finium Ecclesiarum dispositionem magna commoda atque utilitatem afferre posse. Quae nimirum rerum compositio, cum singularum dioecesum aut Provinciarum unitati studeat, sive necessitudines omnium ordinum fidelium necnit, sive virium inutili iacturae parcit. Cuius rei causa, cum sacri Regionis Campanae Antistites, de augendo bono Christifidelium solliciti, iam, normis Decreti Sacrosancti Concilii Vaticani II — Christus Dominus — n. 40 obsecuti, ab hac Apostolica Sede postulaverunt ut Provinciarum ecclesiasticarum suaे Regionis fines recognoscerentur, Nos, bonum animorum unice spectantes, post auditos Episcopos quorum interesseret, haec statuimus atque decernimus. Regionis Campanae dioeceses quae adhuc Apostolicae Sedi subiectae fuerunt, iam Provinciae viciniori aut opportuniori aggregentur, nempe iuri metropolitano Archiepiscopi ad normam sacrorum canonum subiectae. Provinciae vero ecclesiasticae Compsana, Capuana et Surrentina extinguantur. Quare compositio Provinciarum ecclesiasticarum Regionis Campanae haec erit. 1: Metropolitana Ecclesia Neapolitana constabit suffraganeis Ecclesiis: Acerrarum, Isclana, Nolana, Puteolana; Capuana et Surrentina, nec quidquam de archiepiscopali earundem dignitate immutetur; Aliphana, usque adhuc metropolitanae Ecclesiae Beneventanae suffraganea; Caiacensi, Calvensi et Theanensi, Casertana atque Suessana, hucusque metropolitanae Ecclesiae Capuanae suffraganeis; Castri Maris, antehac metropolitanae Ecclesiae Surrentinae suffraganea; Aversana et Praelatura Pompeiana, usque nunc Sanctae Sedi immediate subiectis. 2: Metropolitanae Ecclesiae Beneventanae erunt suffraganeae Ecclesiae: Ariensis, Abellinensis, Sanctae Agathae Gothorum, Thelesina; Compsana, quae archiepiscopalem dignitatem servabit; S. Angeli de Lombardis, Bisaciensis et Laquedonensis, usque nunc metropolitanae Ecclesiae

Compsanae suffraganeae; Nuscanæ, antehac metropolitanae Ecclesiae Salernitanæ suffraganea; denique Abbatia Montis Virginis hucusque Sanctæ Sedi immediate subiecta. 3: Metropolitanam Ecclesiam Salernitanam constituent suffraganeæ Ecclesiae: Acernensis, Dianensis, Nucerina Paganorum, Policastrensis et Vallensis in Lucania; Amalphitana, usque nunc Sanctæ Sedi immediate subiecta, quæ Archidioecesis titulum servabit, Campaniensis, Cavensis, Sarnensis et Abbatia Ss. Trinitatis, hucusque Sanctæ Sedi immediate subiectæ. Ad haec autem perficienda Venerabilem fratrem Nostrum Conradum S.R.E. Cardinalem Ursi, Archiepiscopum Neapolitanum, legamus, cui omnes facultates agendæ rei facimus, quas poterit idem etiam alii subdelegare, modo viro in ecclesiastica dignitate constituto. Re vero acta, idem Venerabilis Frater Noster documenta exarari faciet, quorum sincera exempla ad Sacram Congregationem pro Episcopis cito mittenda curabit. Contrariis nihil obstantibus.

Datum Romæ, apud S. Petrum, die tricesimo mensis Aprilis, anno Domini millesimo nongentesimo septuagesimo nono, Pontificatus Nostri primo.

+ AUGUSTINUS CASAROLI  
*a Publicis Ecclesiae Negotiis*

+ SEBASTIANUS CARD. BAGGIO  
*S.C. pro Episcopis Praefectus*

JOSEPHUS DEL TON, *Proton. Apost.*  
ODEFRIDUS MARIANI, *Proton. Apost.*

\* \* \*

IOANNES PAULUS EPISCOPUS  
SERVUS SERVORUM DEI  
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Sacrorum Antistites, qui pastorali munere in civili ditione Fodiana funguntur, curam agentes de christiana fidelium progressione illic adiuvanda, nuper ab Apostolica Sede poposcerunt ut, secundum normas in Decreto — Christus Dominus — sub n. 40 statutas, Fodiana Ecclesia in sedem metropolitanam erigeretur unaque provincia ecclesiastica in civili ditione Fodiana constitueretur eodem nomine nuncupanda. Nos igitur hac de re Regionis pastoralis Apuliae consuluimus Conferentiam Episcopalem atque, persuasum habentes id Christifidelibus profuturum, non dubitavimus statuere ut adhibitae Nobis preces audirentur. Eapropter, certiores etiam facti de illorum consensu, quorum interest necnon eorum qui id sua interesse contendunt, vi et potestate Nostra Aposto-

lica et, quae sequuntur, hasce per Litteras decernimus atque iubemus. Cathedralem Ecclesiam Fodianam, Apostolicae Sedi adhuc immediate subiectam, ad gradum metropolitanae Ecclesiae extollimus eique iura et privilegia conferimus, quae iuxta ius commune omnium eiusdem dignitatis Ecclesiarum sunt propria, eodemque tempore ecclesiasticam tollimus provinciam Sipontinam. Novam vero condimus ecclesiasticam provinciam Fodianam nominandam, quae constabit tum Ecclesia Fodiana hodie metropolitana facta tum hisce ei suffraganeis Ecclesiis: Sipontina, quae dignitatem archiepiscopalis sedis sibi servabit; Troiana, Apostolicae Sedi immediate adhuc subiecta; Asculana et Ceriniolensi, Bovinensi, Lucerina et Sancti Severi, quae ad hunc usque diem metropolitanae Ecclesiae Beneventanae suffraganeae erant; Vestana, quae usque ad praesens suffraganea erat metropolitanae Ecclesiae Sipontinae. Fodianum pro tempore Antistitem Nos Metropolitae perpetuo insignimus nomine iuribusque exornamus et privilegiis, quibus, ut in sacris canonibus est caustum, fruuntur ceteri ubique Metropolitae, quorum tamen et oneribus et officiis eum ipsum adstringimus. Item ad altiorem metropolitanorum gradum etiam Collegium Canonicorum Fodianae Ecclesiae evehimus. Quae hic praescripsimus, ea ad effectum adducantur a Venerabili Fratre Villelmo Motolese, Archiepiscopo Tarentino atque Conferentiae Episcopalnis Regionis pastoralis Apuliae Praeside, quem deputamus et facultatibus huius mandati causa instruimus, haud excepta facultate eiusdem officii alicui presbytero subdelegandi. Exaratis autem actorum documentis, certa eorum exempla sueto more signata sigilloque impressa ad Sacram Congregationem pro Episcopis cito mittantur. Has Litteras Apostolicas sive nunc sive in posterum ratas esse volumus, contrariis haud obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die tricesimo mensis Aprilis, anno Domini millesimo mongentesimo septuagesimo nono, Pontificatus Nostri primo.

+ AUGUSTINUS CASAROLI  
*a Publicis Ecclesiae Negotiis*

+ SEBASTIANUS CARD. BAGGIO  
*S.C. pro Episcopis Praefectus*

JOSEPHUS DEL TON, *Proton. Apost.*  
GODEFRIDUS MARIANI, *Proton. Apost.*